



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxxviiij. Quibus subitae vertigines obuersantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

obline accipitrem, tuebere ab omni ægritudine.

Ad conseruandos pullos accipitrum.

FOLIUM sicilicum, piperis, carpobalsami, singulorum scrupulum, laseris sesquiscrupulum, contrita cribrata commisce cum melle, quod satis sit, hisque alline.

Remedium ad morbum comitalem.

SI comitali morbo conuellitur accipiter, ei coctam vespertilionem comedendam præbe, & sanus fiet: aut hædi cerebrum, quod per annulum aureum tractum sit, præbe manducandum.

Si conuulsionibus corripitur.

CYPERI, musci, herbæ nuncupatæ drymytatae, oenanthes, lactis caprini, urinæ, stercorisque humani æqualia pondera, arida trita, liquidis mista infundantur.

Quibus subita vertigines obuersantur.

SIGNIFICATIONEM accipiter huius morbi dat. nam subita vertigine corripitur, neque stare potest. Sumito pediculariæ grana quinque, ipsaque trita & cri-

brata, in mediam carnem permista comanducanda præbeto accipitri. Si cibum auersatur, in globulum carnem conformatam, scite aperto ore illius, coge ipsum capere. videbis post horam vnam aut alteram reiectis malis humoribus, morbo liberatum esse, postea cibum illi calentem recentemque dabis.

Remedia ad oculos.

NON paucis morbis laborant accipitrum Noci. nam in quos morbos incidunt cætera animalia, iisdem afficiuntur accipitres. Qui de his indocte scripserunt, plura præterierunt, ego illorum minus perspicua, quoad potero, declarabo.

De albugine oculorum.

EA quæ oculos impediunt, quo minus videant, alij albugines, alij nebulas appellant. his medere in hunc modum. Mel Atticum acapnon, id est, non infectum fumo, crocodili albi stercus, ex æquo mista mortario diligenter tandiu teras, quoad lentescant. deinde pinna illis imbuta illine oculos. Sed si aliqua offensione oculi dolent & lacrymantur, salem Cap-

E iij